PATERIUS · GREGORIUS I. · AUGUSTINUS

Salzburg (?), 6. Jahrzehnt 15. Jh.

Seite 100r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8381
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

claudun[2] hominibus et iuxta
aliquid reserantur ut homines
qui se nesciunt sibimetipsis
innotescant quia dum quedam
intelligendo comprehendit quedam
vero cognoscere omnino non preualet
eorum corda sese latent inqui-
rant si illos diuina iudicia
vel clausa non stimulant uel
aperta non inflant Hac enim
paulus interrogatione probatus
est Qui post accepta internam
sapienciam post aperta claustra
paradisi post ascensum celi tercii post
superne locucionis misteria ad-
dicit Ego me non arbitror
comprehendisse Et rursum Ego
sum minimus apostolorum omnium qui
non sum dignus vocari apostolus
Et Non quia sufficientes sumus cogi-
tare aliquid a nobis quasi ex nobis
sed sufficiencia nostra ex deo est
Apostolus ergo palpebris dei
interrogatus Paulus recte respon-
dit quia et superna secreta attigit
et tamen in humilitate cordis subli-
mior stetit Qui rursum tam secre-
ta dei iudicia de repulsione
iudeorum et gencium vocatione
disputet atque ad ea peruenire
non posset quasi clausis dei palpe-
bris interrogatus est sed rectum
valde responsum reddidit quia
deo se in ipsa sua ignorancia
sciente inclinauit dicens O altitu-
do diuiciarum sapiencie et
sciencie dei quam incomprehensibilia
sunt iudicia eius et inuestiga-
biles uie eius Quis enim cog-
nouit sensum domini aut quis consiliarius
eius fuit Ecce enim absconsis
misteriis quasi clausis palpebris
inquisitus placida ac recta
respondit qui secreti aditum
pulsans quia per cogniciones intromi-
tti ad interiora non valuit
per confessionem ante ianuas humilis
stetit et quod intus comprehendere
non potuit foris timendo lau-
dauit

In expo[sitione] b[eati] Iob li[bro] xv In capitulo xli

Dum de diuini districtione
iudicii in delicto persiste-
ncium tractaretur Adiunctum est
Pluit super peccatores laqueos
ignis sulphur et spiritus procellarum
pars calicis eorum Dicendo laque-
os ignis sulphur et spiritus pro-
cellarum multos inimicos dolo-
res intulit Sed quia ab hiis do-
loribus peccator qui non corrigitur
ad eterna supplicia vocatur eos-
dem dolores non iam totum
calicem sed partem calicis dixit
quia initium eorum passio hic quidem
per dolores incipit sed in ulcio-
ne perpetua consumatur In libro
Iob iiii Et in ca[pitu]lo xxxiiii

Cum de operatione diuini
eloquii tractaretur adiunctum
est Eloquia domini eloquia casta
argentum igne examinatum
Eloquia domini argentum igne
examinatum dicitur quia sermo dei si
in corde figitur tribulacionibus
probatur In expositione b[eati] Iob li[bro]
ii Et in cap[itu]lo iiii

Cum de sequacibus antiqui
aduersarii tractaretur ad-
iunctum est In circuitu im-
pii ambulant Solet per circuitum

Pluit sup peccatores laqueos ignis

Eloquia dni eloquia casta

In circuitu impii ambulabunt

100